

DE OPERCULO

TORIUM, quod ex nutu, atque arbitrio, NUMINIS sanctissimi, confici, & *Arca foederis* superimponi, debebat, hac quidem vice, in primis, me reciperem, &, pro virium ratione, atque modulo, paucula, super eodem isto, commentarer. In eo, autem, dum occupor, ut verba, de Themate isto, longe augustissimo, faciam, hoc mihi non assumo, quasi ego omnium, plane, primus sim, qui in eam viam ingrediatur, cum, ingenue, potius, fateri me oporteat, quod, olim atque olim, inter Eruditos, reperti fuerint non pauci, qui in illustre hoc, antiquitatis *Hebraeae*, momentum, si non ex professo, pro instituti, tamen, qualitate, atque indole, quadantenus, inquisiverunt. Cæterum cum non spicilegium, sed amplissima, superesse messis videatur, in quam falcem nostram intromittere queamus, operæ pretium esse, haud præter rem, forsitan, existimavi, ut pro Judicii, atque ingenii, tenuitate, in his Thesauris indagandis, atque illustrandis, tantisper, ita versarer, ut collectos, si non omnes, selectiores, tamen, quosdam in apricum producerem. Tot, enim, hoc in argumento, immensæ DEI benignitatis signa latent, atque indicia, quot literæ; tot mysteria, quot puncta; tot arcana, quot apices; Ita, ut, in brevi dictione, (quæ *Buxtorfii* strictura est) variam sententiarum vim, sensusque profundos, invenire liceat. Utut, itaque, summa negotii difficultate perterritus, animum, facile, despondere, &, a cœptis desistere, potuissem, fluctuantem, tamen, &, quasi, titubantem, firmiter erigere, imo, plane, tranquilum reddere, potuerunt ista *Psalmistæ* (Ps. XIX.) verba, quibus asseverat, quod פקודי יהוה ישׂרים משׂמח־לב מִצוֹת יהוה בְּרָה מְאֹד עֵינַי נֶעְתָּרוּ, *Mandata Jehovæ neclta sint, letificantia animum, præceptum Jehovæ punum, illuminans oculos.* Quare, cum nullus, omnino, dubi-

dubi-